



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

18 Principes Imperii sunt Romanae Ecclesiae auctoritate suffulti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

sibi Romana mater Ecclesia, quadam quasi germana charitate Germaniam illam, eo terreno dignitatis nomine decoravit, quod est super omne nomen temporaliter tantum presidentium super terram, plantans in ea Principes, tanquam arbores præelectas, & rigans illas gratia singulari illud eis dedit incrementum miranda potentia; ut ipsius Ecclesia auctoritate suffulti, velut germen electum † per ipsorum electionem, illum qui frena Romani tenerent Imperii germi-  
 18 narent. Hinc est illud luminare minus in firmamento militantis Ecclesie per luminare majus Christi Vicarium illustratum. Hic est, qui materialem gladium ad ipsius nutum excutit, & convertit; ut ejus presidio pastorum pastor adjutus, oves sibi creditas spiritali gladio protegendo communitas, temporaliter refrenet, & corrigat, ad vindictam malefactorum, laudem verò credentium, & honorum. Ut igitur omnis materia diffensionis, & scandali, seu etiam rancoris occasio, inter ipsam Ecclesiam, & Impetium auferantur, & ii duo gladii in domo Domini constituti debito sœdere copulati se ipsos exerceant in utilem reformationem regimini Universi, & nos in actu voluntatis, & operis inveniamur filii devotionis, & pacis, qui tam  
 19 Ecclesiam † quam Imperium consovere tenemur, quicquid per Dominum nostrum R. Dei gratia Romanorum Regem semper Augustum Sanctissimo Patri, & Domino nostro Domino Nicolao Papa III. ejusque successoribus, & ipsi Romana Ecclesia recognitum, confirmatum, ratificatum, innovatum, de novo donatum, declaratum, sive concessum, juratum, & actum, seu factum est, per privilegia, vel quacunque alia scripta quorumcumque tenorem super recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innovationibus, confirmationibus, donationibus, concessionibus, & factis, seu gestis, tam aliorum Imperatorum; & Regum Romanorum predecessorum Regis ejusdem, quam ipsius Regis, & specialiter super fidelitate, obedientia, honorificentia, & reverentia, per Romanos Imperatores, & Reges, Romanis Pontificibus, & ipsi Ecclesia impendendum, ac possessionibus, honoribus, & juribus ejusdem  
 20 Ecclesia, & super tota Terra, † qua est à Radicosano usque ad Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatu Spoletano, Terra Comitissa Matildis, Civitate Ravenna, & Emilia, Bobio, Casena, Foropompilii, Forolivi, Faventia, Imola, Bononia, Ferraria, Comaclo, Adrianis, atque Gabello, Arimino, Urbino, Monteferetri, Territorio Balne, Comitatu Bertenorii, Exarchatu Ravenna, Pentapoli, Massa Trebaria cum adjacentibus Terris, & omnibus aliis ad prædictam Ecclesiam pertinentibus, cum omnibus finibus, Territoriis, atque Insulis, in terra, marique ad Provincias, civitates, territoria, & loca prædicta quo quomodo spectantibus. Necnon super Civitate Romana, & Regno Sicilia, cum omnibus ad ipsam spectantibus, tam citra Farum, quam ultra, Corsica quoque atque Sardinia, & cæteris Terris, ac juribus ad ipsam Ecclesiam pertinentibus. Nos nostri nomine principatus in omnibus, † & per omnia approbamus, & ratificamus, ac iisdem omnibus, & singulis, & quibuscumque aliis, super eisdem per eundem Regem quoquomodo factis, & in posterum faciendis, voluntatem nostram, assensum, atque consensum unanimiter, & concorditer exhibemus: & promittimus, quod contra præmissa, vel aliquod præmissorum nullo unquam tempore veniemus; sed ea omnia, & singula pro posse nostro procurabimus inviolabiliter observari.

Et,